Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Num. XXXVI. ANNI 1694. 4. MAJI.

1694

Visual Library

Num. XXXVI.

ORDINARIÆ RELATIONES

ANNI 1694. 4. MAJI.

Româ, 10. Aprilis.

CVm his diebus Cardinales S. Officii ſalutarent captivos, jubebant ad ſe duci captivum Equitem vulgo Apocalyptico-Ioanniticum, vixq; adductus erat, impudentisſimis ſcommatibus in eos invehebatur, non aliter ac ſi turbati eſſet cerebri. Lapsâ Mercurii tranſibat Pontifex ad Vaticanum, ubi peragebantur conſuetæ benedictiones & excommunicationes: has obſtupefacti audiebant nonnulli Germani illuſtriores Lutherani, nam & contra hos intonabant fulmina, dein duodecim viris totidem Apoſtolos repræſentantibus Papa lavabat pedes in corona exterorum, ſub veſperam verò in ſacello Sixti in menſis Trinitatis peregrini cœnabant, miniſtrantibus Cardinalibus. Ob multa pecora tempore hiemali mortua libra carnis ovinæ majoris eſt pretii ordinarioque debent ſuperaddi octodecim quatarini. Panormum in Siciliam miſerunt Hiſpani mandatum de maturanda triremium inſtructione, ut ante finem hujus menſis paratæ ſint posſintque Neapolitanis triremibus uniri.

Turino, 17. Aprilis.

DVx noſter lapsâ Martis ſalvus & incolumis huc rediit, præ-& remiſſo Medico, qui ad eum cogitarât medicinam præſcripturus. Cum nihil audiatur de ullis hoſtilium copiarum motibus, nec ſe movent Confoederati; Mediolanenſis autem Gubernator, ſciens, multas hoſtiles ad Proveneiam migrare, audienſque quaſi tenderent ad Cataloniam; imaginatur ſibi, infeſtatum iri Finalium, ejuſdem præſidium auxit, promiſitque Comiti Benzo bellico Ducis noſtri Secretario, ſe ſex virorum millia quovis nutu ſtiturum non procul ab hac urbe. Aliquot VValdenſes præcones lapsâ ſeptimanâ hinc ad valles profecti, feliciter évaſerunt manus ſtantium in inſidiis prope Cahours Gallorum. Robur Conii diu propuganari poteſt, ubi novisſimè adveniens extraord. Orator Anglic. D. Gallovvay excipiebatur ſex tormentorum exploſionibus & aliis humanitatis officiis. Galli jactitant, ſe uno eodemque tempore cincturos obſidione Conium & Finalium: aliquot manipulos impoſuerunt caſtellis Mazel & Arraſco prope Pignerolium, videnturque corroboraturi utrumque. Madrito Genuam cambialibus delati centies mille nummi von achten numerabuntur Gubernatori Mediolanenſi, qui ſeveriſſimè mandavit Officialibus ſuis & armigeris, ut ſpatio viginti & quatuor horarum adſint ſuis vexillis.

Venetiis, 20. Aprilis.

CArdinalis Ottoboni altare, quod ejuſdem familia in Eccleſia S. Antonii de caſtello erexit, inſigni lampade, quatuor argenteis candelabris & aliis ornamentis decoravit. P. Magiſter Angelus Rosſius Carmelita, qui per totam Quadrageſimam in templo S. Zachariæ ſermones de tempore habuit & lapsâ Solis dixit in Baſilica S. Marci, intellexit Româ, ſe à Papa creatum eſſe Epiſcopum Potentianum in regno Neapolitano. Duæ naves è Spalatro appulſæ non aliud nuntiant, quàm quod Generalis Dalmatiæ Proviſor Dolfinus moraretur in Zerra & totus eſſet in parandis inſtrumentis, quibus opus ad inchoandas expeditiones. Nobilis quædam mulier Veronana Clara Alcaina annorum quinquaginta, lite magni momenti contra ſe decisâ, deſperabundo conſilio ſeſe in canaſim domui ſuæ non procul à Carmelo vicinam præcipitavit. In palatio S. Marci apertum tandem eſt ſortilegium, cujus ſortes complectuntur ducenta ducatorum millia. Stans ad nutum commeatus datâ occaſione ad Levantios abnavigabit. Raguſani referunt, diſcordias in primatiorum aulæ Ottomannicæ Procerum animis de die in diem altiores agere radices, quam ob cauſam tardarentur conſilia de caſtris tempeſtivè producendis.

Viennâ, 24. Aprilis.

NOſter in Vngaria exercitus hoc anno præter quindecim Vngarorum & Raſciorum millia habebit quadrageſies mille Germanos, quæ vires & viri non ſolùm ſufficient ad reſiſtendum Turcis ſed & agent quæ erunt offenſionis, litteræ enim è Turciâ confirmant, non ſolùm in Aſia fervere memoratas ſæpius animorum commotiones, ſed & plebem Conſtantinopolitanam, Hadrianopolitanam pluriumque Turcico-Europæorum locorum furere ob diuturnitatem belli, & vehementiſſimè ad pacem anhelare. Hac hebdomade ultrà centum baliſtarii & pyreutæ è Bohemia huc venerunt, actutumque vehebantur Laurinium, in cujus loci armamentario uſq; ad exordium expeditionum manus mancipabunt apparatuû fabricationibus, dein ſpecimen ſuæ dexteritatis dabunt in caſtris: porrò aliquot Guido-Statrenbergicos in Imperio conſcriptos tirones hac in Vngariam vehi vidimus ad renovandam ſic dictam legionem. Generalis Pallandius è ſup. Vngaria venit huc cum nuntio, quod Iulani aditus ſic eſſent armati & obturati à noſtris, ut imposſibilis cenſeretur Turcica annonæ advectio. Tranſilvani ſcribunt, in Vipalancka adveniſſe trecentos Turcicos tirones ſeſeque adjunxiſſe præſentibus eo fine, ut advectam Belgradi annonam ad Iulanos deducerent ſartam tectam, ſed prævenit iſthæc Darozius, olim inſignis aſſecla Teckelii, & Turcas deductionis iſtius ſtudioſos aggreſſus, potisſimos neci dedit, aliiſque in fugam ſeu carcerem actis, Vipalanckam expilavit, inflammavit & cum ſexcentis viris ad Generalem Veteranium in Tranſilvaniam tranſiliit amore Cæſareæ protectionis, quæ res mirum in modum vulneravit Teckelium, prævidentem præjudicia & detrimenta, quæ inde eſſent pullulatura. Belgradum numeroſo inſtructum eſt præſidio, quod velut & cetera adjacentium locorum aliud non agunt, quàm quod quandoque manipulatim in cis-Savanos pagos involent: confirmantur è finibus grandia per Turciam diſturbia, inter quæ Archiſtrategus officio ſuo exutus eſt, eique ſurrogabitur Alli Baſſa Tripolitanus, accitus ad aulam Ottomannicam. Miles Croaticus ad Vnnam fl. effuſus, obruit Turcicum in Lyubia præſidium, ſublatis priùs ſudibus præpilatis, funditus igne delevit, reliquique pertinaces Turcæ tandem cogebantur humiliare capita ſua, dum ſcintillâ caſu illapsâ ſuccenſus pulvis pyreus adſtantes nimium quantum uſtularet: incertum manet, num Morlacenſes, ut nuper audiebamus, profligaverint Baſſam Boſnianum, qui ſtuduerat ad fines Croatiæ mittere equites amore occludendorum adituum, nã Croatæ paſſim equos & omnia pene pecora è pagis Boſnianis abigerent.

Pariſiis, 26. Aprilis.

REx vult armamentaria Roſana compleri ſingulis exercitui neceſſariis, mandavitque Mareſcallo de Tourville, caveat, ne Hiſpanica maris Mediterranei loca, maximè Barcellona aut Palamos ullam recipiant annonam: ad Breſtenanum portum 12mâ hujus vehenda erant mille & ducenta vini de vite, & quinquaginta urentis & olei vaſa, quæ imponentur navibus ſub finem hujus menſis altum conſcenſuris. Del-

phinus tomâ Maji in Germaniam proficiſcetur. In certum eſt, num Rex ipſe ſit in campum proditurus, eo tamen caſu DuxAurelıacenſis manebit hic ad coercendos plebis in deſperationem & rebellionem pronivis tumultus. Omnes pene Gallicarum ditionum Præfecti flagitant corporum ſuorum tutores, nam collaborando in ruinam ſubditorum, verſarentur in præſentisſimo vitæ ſuæ periculo. Veluti erga non ſpernendam pecuniæ ſummam Rex anno præterito Nobilibus dedit litteras confirmationis & rehabilitationis, ſic & ad idem nunc obligantur Marchiones, Comites, Barones & id genus alii, qui uſum titulorum ſuorum & agalmatum rediment præfixis à Rege ſummis: ſtylus hic dabit facilè quindecim milliones. Germani in Italia dicuntur occupaturi Mantuam, ea enim de re tractari dicitur Ducem ſic dictum inter & Generalem Caprara. Opinio quorundam de Rege hic manſuro fundatur in mandato ejuſdem volentis decem centurias laterales ſeptem hic metari, quas alii veroſimilius cenſent manſuras pro ſecuritate filiorum Dolphini.

E ſup. TractuRheni, 28 Aprilis.

DE cis Rhenanis Gallorum motibus nihil innoteſcit; trans Rhenum verò ante aliquot dies famoſus Melackius cum mille equitibus viſus eſt vetera ſua prope Sintzheimium ſtativa inſpicere; hinc exiſtimamus, Gallos in iis primam hoc anno ſedem fixuros: prior, nullis hoſtilitatis relictis veſtigiis, rediit Philippopolim. Heidelbergæ ſtrenuè laboratur in communitione arcis, diciturque eo roboris modò deventum eſſe, ut par ſit reſiſtendo caſtris 15. ad 20000. virorum, poſſetque aliquamdiu à ſe hoſtem arcere: nec minore ſtudio corroboratur Heilbronna, quos labores tuentur decem virorum millia. Cum præteritâ Lunæ Huſſari cum capto in plagis Hundſruckicis Gallo venirent Francofurtum, poſt ſe trahebant captivum pariter è gremio ſuo Huſſarum, qui prope VVeisBaden quendam Dominum & pediſequum (neſcitur num mercator fuerit, aut, ut ajunt, Brandenburgicus Officialis) ratus eos eſſe Gallos, capitibus ſuis minuit & impedimenta diripuit: eum ibi reliquerunt, meritâ mulctandum pœnâ, dum reus fuerit. Argentorato multum nervi bellici & annonæ ſecundo Rheno vehitur ad munimentum Ludovicanum, unde curribus Landaviam deducitur. Gubernator Philippopolitanus novisſimè effuſus Manheimium, quæſiit locum aptum ad recipiendum robur, inventoque illo ut ajunt, rediit unde venerat: paſſim is effutiit, ſpatio ſex aut octo ſeptimanarum trans-Rhenanos nil hoſtilitatis guſtaturos, cis Rhenum verò hoſtilitates accommodandas ſucceſſui Gallicarum in Sabaudia expeditionum. Ex utraque ſup. & inf. Alſatiæ legione duodecim centuriæ ad præſidia Flandrica, at octodecim migrant ad caſtra Cattinatii; ubi aut in Cataloniâ juxta omnia indicia primum & vehementisſimum molimen Galli audebunt, cum prope Rhenum aliæ copiæ ſe nõ moveant, quàm quæ ad Pedemontios cogitant. Alſaticus Præfectus la Grange peſſimè habere dicitur. Quandonam Confœderati milites ſuos in armis ſint luſtraturi & quo in loco ſtituri, nondum innotuit.

E Tractu Moſellæ, 27. Aprilis.

FAma pergit conſtanter affirmare, intra quatuordecim aut octodecim dies in Lieser pontem Moſellæ injiciendum, quarè macellarii Montregalenſes modò ceperunt currus ſuos inſtruere ut caſtra ſequi posſint: ajunt certo certius, infeſtandam Rheinfeldiam aut Moguntiam, de quo tempus dabit certiora: certum hoc eſt, quod Treviris & in Monte regali armaria ſingulis neceſſariis compleantur, juxtaque famam non procul ab Monte bis aut ter mille equites poſtliminio confluent ad abſtinendas ab oris Hundsruckicis quaſcunque incurſiones: iiſdem in oris noviſſimè Huſſari Haſſis mixti reliquerunt veſtigia innatæ ſibi humanitatis, duplexq; Gallicus conductus tum coeſus tũ ſauciatus eſt & fugatus, feliciter elapſo Præfecto Birckenfeldico, quo è loco novem equi, Murbachio quatuor, & è non paucis aliis locis equi, pecora & quidquid occurrebat tum apud amicos tum apud hoſtem, avulſa ſunt: ad premenda cedentium veſtigia è Monte regali excurrerant bis mille viri, ſed re infectâ redièrunt: mercatores ejuſdem Montis requiſiti ſunt mutuos dare Gallis quinquageſies mille Imperiales, ſed, cum requiſitioni aures & manus benevolas non patefecerint, nunc ſubjacent militari executioni, coguntur que eos vi extradere. Fama quidem, quaſi Rex tandem ærarium ſuum reſeraviſſet, blanditur meritis ſpondetque pecunias, ſed ſpes illa adhuc fallit Officiales & annonæ curatores, eoque non obſtante, hi tenentur illam accumulare, licet nil pecuniæ & ſtipendiorum occurrerit ſpatio quinque aut ſex menſium, propter quam pecuniæ penuriam plures quotidie opifices, macellarii, ſuffarcinet & id genus alii aufugiunt.

Francofurto, 28. Aprilis.

DE hoſte ejuſdemque motibus aliud non audiumus, quàm quod aliquæ copiæ veniſſent in ſup. Alſatiam, verterentque frontem ad inferiores plagas. Impedimenta Mareſcalli de Lorge dicuntur jamtum tracta eſſe Argentoratum, quæ intra octiduum ipſe ſequetur: & in vicinioribus plagis Rhenanis confluunt non paucæ Gallorum copiæ, quæ paſſim in præſidiis recenſentur, mixtis quibuſdam miſerrimè veſtitis: ex omnibus indiciis apparet, intra quatuordecim dies Gallos non exordiri poſſe expeditiones, quo tempore ſperamus & Confœderatos confluxuros ad obſervanda hoſtis conſilia & molimina. Cohors Huſſarica, quæ prope Moguntiam trajecerat Rhenum, heri rediit poſt ſe trahens aliquot currus captivis & prædis onuſtos, multiſque ut ajunt ditata; ex Hundsruckicis autem plagis reſonant gemitus & querelæ quod Huſſari nec amico nec hoſti peperciſſent, æquali humanitate utrumque menſi, omnia abſque ullo diſcrimine diripuiſſent, & non pauca patraſſent homicidia, in ipſos etiam infantes barbari. E via Montana confirmatur, quod Schriesheimium inter & Neccarum in aperto campo paſſim errarent non pauci grandiores lupi, qui homines & pecora invaderent, & non terrefacti explòſionibus aliiſque defenſionis mediis, in ipſos greges cœco impetu involâſſent & pecora diſcerpſiſſent, quod boni nihil putatur præſagire, forſan longè ſplendidiorem famem, quæ jamtum cepit ferire non paucas ditiones, inventis ruri pluribus cadaveribus, immò & viſis hominibus, qui ruri fœtida illa pecorum cadavera inter ſe fruſtatim diſtribuerant; econtrà lætisſima ſeges polliceretur abundantem meſſem, dummodò divinæ benedictionis ros illaberetur. Sponſalia Electorem Bavariæ inter & Principiſſam Polonicam creduntur quodammodò concluſa eſſe; quorum, ſi certa fuerint, tenor proximis innoteſcet. Suecicus Orator Comes de Oxenſtirn hic adhuc degens, omnia quidem impedimenta convaſavit & ad diſceſſum ſtat paratus; nihil certi autem audimus de die diſceſſûs. Princeps NaſſovoVſingenſis, aliquot hic ſeptimanis moratus, rediit ad patrios lares, proximè tamen adibit Belgium.

Bruxellis, 29. Aprilis.

RAri nihil in negotio Leodienſi occurrit, cùm dicatur totum commiſſum deciſioni Pòntificiæ: ut ſeries electionis fideliter & citò ferretur Madritum, ordinarius veredarius biduò detentus fuit, & celox illuc mari eſt deſtinata. Tornaci & in pluribus Gallico Belgicis locis iteratò zythopeptis inhibita eſt coctio zythi ſeu cereviſiæ, usq; dum aperuerint, quantam frumentorum vim adhuc habeant. Gallica in Monte S. VVinoxii, Dunkerka, Ypræ & Meræ præſidia novis veſtiuntur chlamydibus, reſiduiſque ſtipendiis recreantur, non autem Officiales, quibus illa, dum ruri ſtabunt, dabuntur: vix ante finem Maji in campum Galli prodibunt ob debilitatem virium & penuriâ pecuniæ. Dunkerckâ paſsim pelluntur naves frumentis onuſtæ,

Typis Viduæ PETRI HILDEN cum Privil. S. C. Mtis.